

809

*Venetis cum
Pipino di-
micantibus
libertas mā-
sis incolu-
mis.*

*Angelus
Particia-
tius Dux.*

*Badoaria
gens.*

812

*Instauratur
Heraclia.*

*Ducarii &
foris descri-
pta.*

hum gestum, neque hæc quæ illi dicunt, secuta. Ut omni-
no credam, diligentiorum consensus facit, qui Pipini du-
ctu Venetis bellum illatum affirmant. At siue ille, siue
hic potius fuit, plane constat, Venetis libertatem inco-
lumem mansisse, fuisseque alterius Imperii aperte amicos
factos. Sunt qui tradant, Beatum Obelerio cæso Duca-
tum tenuisse: alii vero, hoc & Obelerio in exilium actis,
Valentinum minimum natu Reipublicæ præfuisse. Sed ut-
cunque res sese habuit (nam difficile est discernere in
tanta Scriptorum varietate, quid potissimum sequamur)
illorum trium Principatus quintum annum non excessit.

Hos Duces Angelus Particiatius secutus est, qui primus
omnium Ducarium in Rivoalto thronum habuit: duo an-
nui Tribuni cum eo creati sunt, cum quibus cognosceret
decerneretque omnia. Tradunt quidam, Badoario fuisse il-
li cognomen, a quo Badoarii sunt. Diligentiores, inter
Heraclianas domos, quæ in Rivumaltum venere, Parti-
ciatios retulerunt: quod ipsum, ut facilius credam, hoc
quod dicam effecit. Inter enim publica ejus administra-
tionis opera Heracliam quoque ab eo instauratam reperio,
quæ a recentiore illa ædificatione postea *nova Civitas* di-
cta est. Et quia ingens factus erat Gallico bello in Ri-
vumaltum concursus, quantus ad eam diem in reliqua-
rum insularum nullam, essetque locus auctus incredibili
mortalium frequentia, factum est, ut sexaginta parvæ in-
sulæ, quæ loco proxime adjacebant, pontibus tum pri-
mum inter se junctæ sint. Sed quum inter omnes consta-
ret, civium multitudine, ac locorum natura dignam vi-
deri sedem, in qua summus Magistratus atque summa
Reipublicæ esse deberet, quod bonum felixque Duci Ve-
netoque nomini esset, publice decernunt, perpetuam Prin-
cipum sedem Rivumaltum fore. Secundum id decretum,
ne sine domo amplissimus Magistratus esset, confestim Dux
ipse locum animo concepit, in quo Ducariam sedem,
quam hodie Auræ adiacubantem spectamus, ædificaret.
Sed Particiatio auctore Ducarium tantum insigni opus ve-
tustate conditum affirmare ausim: idque ut credam, ope-
ra illi